



Ioannes apud Heluetios in Thurgouia natus est Anno millesimoquadringentesimo nonagesimo nono . Hic cum prima literarum rudimenta in patria didicisset, sese Argentoratum contulit, & Gebuilerō præceptore per septennium usus, in literis egregiè profecit . postea quoque sacris libris incubuit, atq; Constantiæ sacris initiatus fuit, anno millesimo quingentesimo uicesimo primo. Inde ad Tabernas Alsatia, atq; postea Vualdshutæ Ecclesiæ inseruiuit, & Euāgelicorum libris perlectis, eorum doctrinam approbavit . Cum autem Balthasarus Vualdshutensis pastor multas monstrosas opiniones sereret, & anabaptistam quodammodo ageret,

Ioannes ab eo recessit, & in pago Griessen & Gislingen Euangelium docuit. Paulo post rustici, furore moti, contra suum principem arma sumpserūt, quantumuis Ioannes sedulò repugnarēt. Verūm rusticis uictis, ipse quoq; comprehensus, & oculis priuatus fuit. Itaq; Tigurum deductus primū leprosis Euangelium annuntiare iussus est. Postea in pago Lufingensi parochus constitutus, & ab eo tempore amicis semper hilarior esse uisus est, quā prius cū oculos haberet.